

est a corpore, si deforis venit, si propterea dicitur 1. De anima capite 4. esse substantia et non corrupti:⁷⁹ *Intellectus vero videtur ingenerari et substantia quaedam esse et non corrupti.* Et rursus:⁸⁰ *Intellectus vero forsitan divinum quid et impassibile est.*

- 5 Neque obstat quod hic dubitanter id videtur^{xx} protulisse, omnia enim hoc libro dubitantur, nullo modo dici potuit eum essentia nihil esse priusquam in actionem veniret, quomodo enim in actionem veniat, quod nondum est? Divinum locis superioribus eum docuit esse, si divinus etiam impassibilis, si impassibilis etiam immortalis, si immortalis et ingenitus, prolixo enim fine primi De coelo docuit, quod incorruptibile sit et ingenerabile esse. Si ergo immortalis est intellectus, est etiam incorruptibilis, si incorruptibilis etiam ingenerabilis: si ergo deforis venit et ingenitus est, praexistit, modo quaeratur si aeterno tempore 10 praexistit, antequam ad nos descendat, an ignorans est rerum? Si ignorans est, quomodo est intellectus? Intellectus enim est, quia intelligit, si ignorat non est intellectus, ut ergo intellectus sit, necesse est eum intelligere: si intelligit, aliquid [324] nimirum intelligit, entia nimirum aut non entia? Entia certe. Entia ergo 15 intellectus in nos descendit et si is ipse est, qui in nobis intelligit et scit, scientia nostra secunda prioris scientiae repetitio est ac reminiscencia.
- 20

Praeterea nos quae primo cognoscimus per sensus cognoscimus, ut multis locis praesertim Analyticis docet Aristoteles, ex singularium autem cognitione universalem colligimus scientiam. Sed universale hoc sciebamus. Sic enim initio 3. Analyticorum:⁸¹ *Antequam vero inducatur aut accipiatur syllogismus, aliquo quidem modo fatendum est scire, alio vero modo non.* Quo autem modo

⁷⁹ ο δὲ νοῦς ἔσικεν ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα, καὶ οὐ φθείρεσθαι. [ARIST. de An. 408b.18 – 19]

⁸⁰ ο δὲ νοῦς ἵσως θειότερον τι καὶ ἀπαθές ἐστιν. [ARIST. de An. 408b.29]

⁸¹ ποὶν δ' ἐπαχθῆναι ἡ λαβεῖν συλλογισμὸν τῷ πότον μέν τινα ἵσως φατέον ἐπίστασθαι, τῷ πότον δ' ἄλλον οὐ. [ARIST. A Po. 71a.24 – 26]

^{xx} Corr. ex videntur